



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 34. De Prouidentia Dei in assignandis Angelis custodibus hominum,
quantaq[ue] bona in hoc beneficio contineantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXXIV.

DE PROVIDENTIA DEI,
qua nobis Custodes Angelos assi-
gnat: & quanta bona hoc
beneficium comple-
ctatur:

PVNCTVM I.



ONSIDERANDVM pri- Causæ hu-
mò, providentiam diui- ius Proui-
nam statuisse, vt omnes dentia.
homines haberent suos
Angelos custodes, qui ip-
sos custodirent, & ad fi-
nem æternæ saluationis
dirigerent: perpendendæ verò causæ, quæ
Deum ad hoc faciendum induxerint.

PRIMA causa fuit, vt magnum suum amo-
rem erga homines ostenderet, quanti que fa-
ceret, ac desideraret eorum salutem: si qui-
dem statuit: *a omnes illos esse administratorios*
spiritus, in ministerium missos è Coelo propter
eos, qui hereditatem caperent, salutis. Ita vt
non solum omnes creaturæ cœli & terræ ho-
mini seruirent, sed etiam quæ sunt super Cœ-
lum, & maiores in sua natura, quàm sit homo,
illi tamen ministrarent, illumque adiuua-

Causæ hu-
ius Proui-
dentia.

I.

a Heb. 1. 14.

dd 2 rent.

b *Matt. 18.*
16.

rent. & ob eam causam dixit Christus Dominus noster: *b ne contemnatis vnum ex his pusillis, quia Angeli eorum in cælis, semper vident faciem Patris mei.* Quasi diceret: tanti illos Pater meus facit; vt Angelos eis destinauerit, qui semper sibi assistunt in Coelis. Gratias tibi, Pater æterne, ob amorem hunc & æstimationem, qua nos tanti facis, vt familiares & domesticos tuos, custodes nostros adhibeas. Iam non miror Domine, sicut Dauid, quod *c omnia subieceris sub pedibus meis, ac minueris paulo minus ab Angelis;* siquidem eosdem Angelos constituis, vt mihi, amore tui ministrent. Seruiam ego tibi, Domine, sicut illi seruiunt, in gratiarum actionem, ob illa bona, quæ mihi propter te faciunt.

c *Psal. 8. 8.*

II. SECUNDA causa, cur Angelos custodes diuina prouidentia nobis adhibuerit, ea est, quod videret nostram imbecillitatem, & magnas necessitates ac pericula, quib⁹ in hac vitâ subiecti sumus. & quamuis potuisset per seipsum hoc fauore erga nos vti; voluit tamen Angelorum operâ ad id vti, commendans illis, vt diligentem curam nostri gererent, iuxta illud Dauidis; *d Non accedet ad te malû: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus suis portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quibus verbis insinuat Dauid tres Dei magnos in me fauores. Primus est, quod Deus non vni solum, sed pluribus Angelis mei curam deman-

d *Psal. 90. 13*

daue-

dauerit, quòd insinuat multos esse, qui curā mei gerant, vt mox videbimus. *Secundus* fauor est, q̄ me custodiāt *in omnibus vijs meis & gressib⁹*, in quacunque mundi parte verfer, terrā marique, & in omnibus negotijs quę tracto, & operibus quę facio. *Tertius* est, quod me portent in manibus suis, ne offendam; & p̄seruant ab occasionibus, in quibus offendere, & periclitari possem; ita vt eius manus, instar mihi sint vehiculi aut lecticę, quę me portat, protegit, & à terra eleuat, defendens me ab iniurijs aëris & ab offendiculis terrę. O prouidentia, amore & suauitate plenissima, Patris nostri cęlestis! quas tibi gratias reddere potero, ob hanc tuam curam, qua tali via meę imbecillitati subuenisti! vtinam tam esset mihi curę tibi seruire, quàm est Angelis me protegere; vtinam in meis omnibus vijs & gressibus, illis parerem, vt etiā placerem tibi: vtinam sine rem me portari manibus eorum, vt nunquam tu me à tuis dimitteres. O Angeli beatissimi, semper mei curam gerite, vt nec malum mihi appropinquet, nec pœna prosternat, nec deficiam ab eius obsequio, qui nunquam desistit à mea protectione.

TERTIA causa fuit, quòd videret Deus Dominus noster, malos angelos, qui è Cœlo repulsi erāt, tentaturos & p̄secuturos homines, ingentil rabie & inuidia, ideoq; benigna sua prouidentia de bonis Angelis, qui in Cœlo remanserunt, nobis prospexit, qui à malis Angelis defenderent; & haberent homines, spiritus

III.

3. Thom. 1.
p. 9. 113. a.
4. ad 2.

e 4. Reg. 6.
17.

1. p. 9. 113.
2. 4.

uisibiles, protectores, sicut habebant inuisibiles impugnatores. Et ita in ipso quoque statu Innocentiæ, sicut fuit vnus Dæmon, qui primos nostros Parentes tentaret; ita etiã fuit Angelus, qui eos custodiret ac protegeret; & si Eua attendisset ad inspirationes Angeli boni, non adhibuisset fidem verbis Angeli mali. Et ob eandem causam, hoc ipsum statuit diuina prouidentia, vt sic defenderemur ab alijs hostibus visibilibus quidẽ, sed tamen occultis: necesse enim erat, habere etiã aliquem amicum occultum, qui eos agnoscens nos ab eis liberaret. Ex quibus omnibus magnam concipiam fiduciam depugnandi aduersus Dæmones, & cæteros occultos hostes: siquidem pro me sunt Angeli, illis omnibus potentiores. Quod si tibi, anima mea, Deus aperiret oculos, sicut aperuit puero Elisei vt videres, quã multi & meliores tecum sint, & pro te pugnet, quam contra te, magnum proculdubio animum acciperes ad pugnandum, & vincendi fiduciam, Lauda ergo & glorifica prouidentiam tui supremi Capitanei, qui tot adeoq; strenuos tibi dedit defensores, contra tot & adeo potentes aduersarios.

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum, quod hæc suprema prouidentia, ad omnes in vniuersum homines huius mundi, admirando quodam modo se extendat.

P E R

I.
 PERPENDENDO primùm, quod non solum qui sunt ad cœlum prædestinati, habeant suos Angelos, sed etiam reprobis; nec solum iusti, sed etiam peccatores; nec solum Christiani, sed etiam Gentiles, & omne genus infidelium, nemine prorsus excluso vsque ad ipsum Antichristum; qui etiam habebit suum. quia enim a *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* ita hoc medium adhibet ad eorum salutem; & ne quis suis meritis hoc attribuat, Angeli assignantur singulis ab eo tempore, quo anima creatur, & corpori vnitur, aut certe ab ipso puncto natiuitatis.

a 1. Tim. 2.

4.

II.
 S E P maiorem adfert admirationem, quòd cum vel vnicus Angelus, abundè sufficeret ad multos homines, qui in eadem ciuitate vel regno habitant, custodiendos; nihilominus statuerit prouidentia diuina, vnum solum Angelum destinare custodiæ vnus solius hominis, in quacunque parte & loco mundi ille esset; & vt huic soli tanquam socius & pædagogus perpetuò attenderet, omnibus diebus vitæ eius, nec illum vnquam omnino desereret, etiam si omnino rebellem se exhibentem. O Pater amantissimè, quas gratias tibi referam, pro tam excelso beneficio, quo afficis homines, mandans Angelis amicis tuis, vt sint pædagogi tuorum hostium. A ventre matris meæ, & b natura eram filius ira; & tamen

s. Thom. scilicet

præ a. 6.

b Ephs. 2. 3.

ex tunc mei curam commisisti ei, qui erat vas misericordiae, ut contenderet facere me sibi similem: seruiam ego tibi Domine sicut ille seruit, ut perueniam ad fruendum te, sicut ille fruitur, Amen.

HINC magnum concipiam amorem & opinionem de quocunq; proximo, etiamsi vilissimo; siquidem etiam vilissimo Deus constituit Angelum omnino eius, custodiae addictum: *cMatt. 18. 6* & ideo Christus D. N. dixit: *c Ne contempnas unum ex his pusillis*, quia Angelus maximus & potentissimus, etiam pusillum custodit.

QVOD si ego non auderem murmurare, aut detrahere alicui absenti coram magno alicuius amico, nec praesentem afficere iniuria coram eius pedagogo, aut strenuo eius custode; consentaneum quoque est rationi, ut nihil tale ego faciam in proximum meum, ac credens quod is Angelum habeat pedagogum & custodem, qui meas audiat murmuraciones, & videat iniurias, sitque potens ad petendam a Deo iustitiam & ultionem de me, eamque exsequi sine mea resistantia.

III. TERTIO perpendam, quod providentia diuina non satis habuerit, unicuique homini assignare custodem Angelum ex ultimo Choro infimae Hierarchiae; sed voluerit praeterea Archangelos & Principatus destinare, qui Reges & Principes, Regna, & Ciuitates gubernent ac tueantur, Ecclesiam item vniuersalem, eius Metropolitanas, Religiones, Prouincias, & Monasteria earumque Prae-

tos, & personas in dignitate constitutos, quo
 per excelsos huiusmodi spiritus mandentur
 executioni, cum maiori suauitate, dispositio-
 nes ac decreta diuinæ gubernationis. Ex quo
 intelligam, me non habere vnum tantum An-
 gelum, qui me custodiat, sed etiam adesse mi-
 hi Angelum illum aut Principatum, qui reg-
 num custodit, & ciuitatem, in qua habito; &
 eum qui vniuersalem Ecclesiam tuetur; & qui
 particularem, in qua ego maneo; & eum qui
 religionem & monasterium, in quo dego; &
 eum qui ratione meæ dignitatis aut officii,
 mihi est assignatus. Præterea Angeli secundæ
 Hierarchiæ, Virtutes, & potestates, qui pote-
 statem habent Dæmones reprimendi, adiu-
 vant me in tentationibus. Est etiam aded sua-
 uis prouidentia diuina, vt intuitu hominis
 constituerit Angelos, qui attendant conser-
 uationi specierum rerum corruptibilium, ne
 inquam illæ deficiant, & homo fraudetur
 bono, quod ex eis percipit, nec illæ frustretur
 fine, in quem Deus illas creauit. Quod totum
 mihi debet esse motiuum ad nouas laudes, vt
 gaudeam de amore quem Deus nobis osten-
 dit in aded beneuola prouidentia; & prouocē
 meum Angelum custodem, & Archangelum,
 & Principatum, & Potestatem, sub quorum
 gubernatione dego, vt gratias pro me agant,
 & pro bono quod infidelibus largitur
 qui ipsum nec agnoscunt, nec
 gratias agere sciunt.

PUNCTVM III.

TERTIÒ est consideranda, quanta ani-
mi voluptate & lætitia, Angeli acce-
dant ad officium hoc custodiae nostræ
sibi commissæ exsequendum; quos neque pro-
pria excellentia & nobilitas, nec paruitas &
abiectio nostra, ab eo præstando remoratur:
perpendam verò causas, cur illi in hoc mu-
nere exequendo adeò delectentur, easque
causas mihi accommodans, studebo eos in il-
lis imitari.

I. PRIMA & præcipua causa est, quod ita
Deus illis mandauerit, quæ vel sola sufficit.
cùm enim adeo illum diligant ex intimo cor-
de cupiunt opere exsequi, quidquid ipse illis
mandat; nec aliquid reputant vile aut abie-
ctum, quod Deus mandauerit; cui seruire re-
gnare est. Ideoque cum tanta voluptate a

a Tob. 12. 15 **Raphael Angelus**, etiamsi esset vnus ex sep-
tem præcipuis, qui astant ante Dominum,
seruiebat Tobiz, in itinere & in hospitibus,
atq; si Regnum aliquod gubernaret, aut stel-
latum cœlum moueret: quia non tam aspicie-
bat rem sibi commissam, quàm eum qui illam
committebat: & ita oblectatur in suo munere
Angelus mancipii custos, atque Cæsaris cus-
b Ps. 102. 20 tos aut Pontificis. Ob Angeli Dei potentes
virtute ad faciendum verbum illius, & audien-
dam vocem sermonum eius, promptissimè exse-
quentes quidquid ille vult: benedicite illi pro

bono

bono hoc affectu, quem nobis dedit; & orate eum, me vt iuuet ad vos imitandos, vt gloriatur in obediendo ei in omnibus, quæ mihi voluerit iniungere.

SECUNDA causa est insignis charitas, quam habent erga homines, tanquam erga suos proximos, Nam videntes quod Deus illos diligat, non possunt ipsi illos non diligere, aduertentes etiam, Deum ad eò illos dilexisse, vt fieret homo pro eis; & ipsi quoque ad eò gaudent, eos diligendo, vt libenter fiant, tanquam serui, eorum causa: ideoque volens Sanctus Ioannes vnum illorum adorare, ob insignem eius excellentiam, c. Angelus id prohibuit dicens: *Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium IESV*. Quasi diceret, non tantum xstimo quod sim Angelus, atque quod sim seruus IESV; cuius & tu & fratres tui serui estis, & propter quem gaudeo ego seruire, sicut seruus; non adorari sicut Dominus. Et eousq; amor iste progreditur, vt nõ solum Dei seruos diligant, sed etiam eius inimicos, cupientes scilicet bene illis faciendo, eos conuertere in amicos, ideoque magna eos voluptate custodiunt.

EX PRAEDICTIS duabus causis oritur TERTIA, Desiderium scilicet ingens, quo tenentur, vt coeli Sedes, quas eorum socij vacuas reliquerunt, nouis colonis repleantur; ideoque magnum studium ponunt in procuranda nostra salute, vt ad eas nos
secum

II.

c. Apoc. 19. 10. & 22. 9.

III.

d *Luce. 15. 10.*e *Isai. 33. 7.*

secum deducant. Ex quo prouenit, vt quando d peccator quispiam pœnitentiam agit, gaudium sit illis magnum in Cœlo. Et si capaces essent tristitiæ, e Angeli pacis amarè flerent in ruina iustorum, nihil enim æquè eos ad lachrymas permoueret atque hoc. Et sic tristantur de nostro torpore, & exultarent de seruore; cupiuntque nos in omni virtute crescere etiam supra illam, quam ipsi habent. tantum enim absunt ab inuidia, vt exultent potius Angeli custodes nostri, si homines in cœlo ad altiorem locum, inter Cherubinos & Seraphinos euehantur. Quare agnosce, anima mea; ardentissimam horum spirituum charitatem, & contende eam absque inuidia æmulari; dolens vicem peccatorum, & exultans de bono eorum qui iustificantur; gaudensque de iis, qui ad maiorem altitudinem quam tua sit, peruenerunt. Et siquidem tuus Angelus, suam consolationem in tuo profectu ponit, ne quid feceris, quo ille offendatur; aut prætermiseris, quo ille lætetur, offerens gaudij materiam ei, qui tanta animi voluptate tuum procurat commodum.

PUNCTVM IV.

QUARTO est consideranda providentia & vigilantia custodum Angelorum erga nos, & ingentia bona spiritualia, quæ per illos nobis proueniunt: & primum, perpendenda est causa huius tæte eorum pro-

uident-

videntiæ, quam tetigit Christus Dominus no-
 ster, cum dixit: *a Quoniam Angeli eorum sem-
 per vident faciem Patris vestri, qui in cœlis est.*
 Ex hoc enim aspectu tres illis proueniunt pro-
 prietates, necessariæ ad perfectam prouiden-
 tiam, quas superius tetigimus, *Sapientia* sci-
 licet, *Bonitas*, & *Potentia*; vt nimirum sciant
 quid erga nos facere debeant, idque magna
 charitate velint, & ad exequendum habeant
 potestatem. Et quando illis non constar, quid
 Deus velit, quisque eorum facit quod indicat
 esse conueniens bono eius, cuius est custos, li-
 cet id aduersetur ei, quod alter intendit; sicut
 euenit b *Angelis custodibus populi Iudæorum &
 Persarum*: quamuis statim atque Deus volun-
 tatem suam illis reuelat, & prouidentiam suam
 ordinem ac dispositionem, statim ipsi ad eam
 exsequendam conueniant. Et in hac fide cura-
 re debeo me benè radicare, reuocans mihi in
 memoriam quod dixit Ecclesiastes, *c Ne di-
 cas coram Angelo: non est prouidentia: ne fortè
 iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cun-
 cta opera manuum tuarum.* Quasi dicat; atten-
 de, te esse coram Angelo tuo: caue itaque in
 eius præsentia dicere, neque Deum, neque ip-
 sum prouidentiam habere: id enim esset in
 causa, cur nullum ex ea fructum percipias,
 sed potius poenam tua blasphemia dignam.

HINC ascendam ad perpendendos admi-
 randos Angelicæ huius prouidentiam affectus
 (spirituales); eos reducens ad tres actus Hie-
 rarchicos, quos Sanctus Dionysius appellat

a *Matt. 18.*
10.

b *Dan. 10.*
13.

S. *Thom. 1.*
p. 9. 113. a. 8.

c *Eccles. 5.*

S. *Dionys. t.*
4. *cœlest.*
Hierarch.

PURGARE, ILLUSTRARE, & PERFICERE, quos exercet suprema Hierarchia cum media, & media cum infima, & hæc cum hominibus, quamvis interdum extraordinariè etiam illi qui sunt suprema Hierarchiæ; eos exerceant cum hominibus.

I. IUXTA hoc itaque Angeli *primùm* nos PURIFICANT ab erroribus & peccatis, iuuant nos ea deserere, & suggerentes exercitia viæ PURGATIVÆ, sicut d *Seraphin*, qui calculo siue pruna, tangens labia *Isaia* Propheta dixit: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

II. IDEM etiam illustrent animas nostras veritatibus; & exornant virtutibus, quia internis suis illustrationibus manifestant, quæ non scimus, & alliciunt ad faciendum quod debemus: & hoc medio proficimus in via, quæ dicitur ILLUMINATIVA. Aliàs nobis inspirant & inducunt, ut accedamus Magistros, qui docere nos & iuare possint; & ipsis quoque Magistris inspirant, ut nos doceant & iuuent, sicut accidit Cornelio, eo modo quo supra diximus.

III. TERTIO PERFICIUNT nos Angeli in omni virtute & exercitijs coniunctionis cum DEO; & ita nominatim curam habent nostrorum exercitiorum, Orationis, Meditationis, & Contemplationis, per quæ præ-

dici

dicti effectus obtinentur, & vt ait Dauid, *præueniunt nos, vt oremus, ad id nos impellentes, & psallentibus coniunguntur, quietem nobis in oratione adferentes, quam magno feruore exacuunt.* Et (vt ait Sanctus Ioannes in Apocalypsi) statim atque illa finita est, eam DEO offerunt, & expeditionem eius procurant. quare cùm aliqua desideria orandi repenti mihi incidere aduerto; existimare licet, à meo Angelo illa prouenire, qui me inuitat ad orandum: quare par est, me illi obedire, & *g orare* (vt ait Dauid) *in conspectu Angelorum, psallendo DEO, & adorando ad templum sanctum eius, & confitendo nomini eius,* adhibens illos tanquam testes orationis meæ, ne in eorum conspectu tale quid cogitem, quod erubescerem, coram hominibus cogitare. Nam alioquin non offerent orationem illam coram DEO. O supreme Princeps, qui meæ assistis custodiæ, *purifica me à vitiis, illustra virtutibus, & persice vnione charitatis;* impelle me ad orandum; comitare, dum oro; accende ipsam orationem igne feruoris, vt per manum tuam ascendat illa ad conspectum Creatoris, vnde redeat benè expedita, iuxta meum desiderium, quod teneor, ipsi me coniungendi in æternum. Amen.

c *Psal. 67.*
26.f *Apoc. 8. 3.*g *Psal. 137. 1.*

IV.

A B H A C denique prouidentia oritur vt Angeli, singulari studio nobis assistant, ad impedimenta nostræ salutis remouenda, qui

h. Apoc. 12. 7.

qui (vt ait Sanctus Ioan. in Apoc.) *h. praeliantur* pro nobis *cum Dracone*, & *Angelis eius*; nostrisque pugnis & tentationibus assultunt, vt nos propugnent. Et si voluerimus illorum strenuitatē & cōsilia in pugnis nostris sequi, certa erit de nostris hostibus victoria, Et eadem ratione nos defendunt à cæteris nostris ho-

i. Psal. 33. 8.

stibus. idcirco enim dixit Dauid *immittet Angelus Domini in circuitu*, ad omnes scilicet partes *timentium eum*, & *eripiet eos* ab omnibus tribulationibus eorum, adducens secum militum cœlestium exercitum integrū; qui Deum timentes in medio sui accipient,

k. 4. Reg. 6. 17.

& eos à suis hostibus defendent, vt accidit *Elifæo* Prophetæ. Gratias vobis, Spiritus beati, ob istam vestram diligentiam, qua ad meam defensionem accurritis. Certus sum enim, vos non minus vigilantes in mea defensione futuros, quàm sint Dæmones in mea impugnatione; nec minùs sollicitam futuram vestram charitatem in meum bonum, quàm sit malitia illorum in meam prnnciam. &

1. Pet. 5. 8.

siquidem *l. aduersarius meus Diabolus*, tanquam *Leo rugiens*, *circuit quarens* opportunitatem, qua me *deuoret*: Venite & vos tanquam generosi leones, & ex omni parte me circumdate, vt defendatis. In vestrum si-
quidem honorem cedit, si vestro
auxilio ego victor eua-
fero.

PVNCTVM. V.

QVINTO est consideranda prouidentia Angelorum circa bona corporalia in ordine ad spiritualia nostræ salutis; cuius intuitu etiam attendunt vitæ nostræ, sanitati, honori, fortunis, elcicis, vestibus & reliquis nostræ conseruationi, iuxta status nostræ rationem necessariis; & ipsimet statui nostro consulūt, quem amplecti nobis expedit, iuxta dispositionem prouidentix diuinæ. Similiter nos adiuuant in morbis nostris, tristitiis, periculis, & miseriis, quas patimur, aut nos ab eis liberando, aut illis moderando, & nos cōsolando: aut inspirando aliis, qui nos liberare & consolari possint, & intercedendo pro nobis apud Deum: nihil pergermittentes eorum, quæ ad ipsorum munus pertinent, sed magna charitate & solitudine omnia præstantes. sicut fecit Angelus a *Raphael cum Tobia*, quem a *Tob. 6. 4*
liberauit ab immani pisce eum inuadente, ad de- *Et.*
 uorandum, & animum illi fecit, ut pisces *ap-*
prehenderet, & ad se traheret; cuius carnes
 pro sustentatione in sua profectioe adhibue-
 runt, & eiusdem corde super carbones posito
 vtilis est ad fugandum Dæmonem Almodæum,
 qui eum querebat suffocare; ex felle verò me-
 dicinam parauit, qua Patri suo cæco lumē re-
 stituit: & idem Raphael ita rem direxit, ut v-
 xorem cum magno honore & diuitiis ducere-
 ret, creditum pecuniæ pro ipso recepit, bonis

VI. Part. Med.

ee

tem-

temporalibus ipsum repleuit, & insignia cō-
silia dedit; ante & postquam vxorem duxit,
donec diuitem illum, contentum, & prospere-
rum in paterna domo reliquit. Et quod S. ille
Angelus fecit visibiliter coram Tobia, facit
inuisibiliter cum omnibus, ideoque possum
dicere meo, quod illi dixit Tobias: *b si mei-
psum tradam tibi in seruum, non ero condi-
gnus prouidentia tua: ecce me nihilominus
tibi in seruū trado, perge porrò, quod in me
cœpisti, curam gerere tam corporis quàm a-
nimæ meæ, donec me constituas in domo Pa-
tris mei cœlestis, diuitem & beatum in æter-
num. Amen.*

I.

HINC pergam vltcrius ad perpendendum,
quid ego facere debeam erga sanctum Angelū
meum custodem, in gratiarum actionem, ob
eius erga me sollicitudinem. Nam *primū*
par est, frequentem me recentemque eius me-
moriam habere, & mihi præsentem tanquam
vitæ meæ testem aspicere; & cauere, ne quid
seorsim & in secreto aut separato domus meę
loco, faciam, quod oculos tam boni amici of-
fendat. Et vt ait Apostolus, *c mulier potesta-
tem & velamen habere debet supra caput in
Ecclesia propter Angelos: sic ego itudebo sem-
per esse castus, modestus, temperans, & om-
nino compositus in omnibus meis actionibus
publicis & priuatis, propter Angelum, qui
adstat mihi ad latus; cum quo familiarem &
frequentem instituam conuersationem. nam
vt ipse erga me præstat officiū pædagogi, ma-*

*c1. Cor. 11.
10. 13.*

gistr.

gistri, consiliiarii, gubernatoris, protectoris, amici, & socii; ita par est me illi correspondere, & familiariter cum eo loqui; nunc tanquam à Magistro petendo lucem contra meas ignorantias; nunc tanquã à consiliario petendo in meis dubiis consiliũ; tanquã à protectore, auxiliũ in meis periculis; nunc deniq; tanquã ab amico, solatiũ in meis calamitatibus petendo; interdum gratias agam pro beneficiis, quę mihi confert; interdum etiam congaudebo & congratulabor illi de bonis, quę ipse possidet; & aliàs Deum laudabo ob bona, quibus illum ornauit. Et quoniam interdum à me discedēs, in cœlum conscendit, quamuis inde me etiam respiciat, magnamque mei curam gerat, ego tamen eum aduocabo, vt veniat, maneatque mecum ad latus meum; qui, quod aded sit comis ac beneuolus, annuet meę petitioni, imò internum dabit mihi indicium præsentię suę; iubilos scilicet consolationis, quos tunc experiar in corde. Præ omnibus autem, conabor illum mihi facere addictum & amicum, ad horam meę mortis; nam cum ipse sit exsecutor mediour nostrę prædestinationis, quę dependet ex nostra perseuerantia vsque ad bonam mortem; in ea hora maiorem omnind adhibet diligentiam, vt ego consequar salutem; sicut Dæmon etiam est diligentior, vt ego peream.

ET si quis custodi suo ANGELO in vita obediuerit & seruiuerit, magis propitium sibi que fauentem habebit in

*S. Thom. 1.
p. q. 113. a. 6.
ad. 3.*

morte; ita vt nec ad momentum illum de-
 rat, donec deducat animam, sicut Lazari il-
 lius, in sinum & æternam requiem gloriæ. Ad
 hoc totum conducer, aliquale obsequium, aut
 orationem specialem quotidie, illi offerre:
 verbi gratia: salue Angele Dei, Princeps nobi-
 lissime, mi custos, & pœdagoge amantissime,
 salue: gaudeo, quod tantam tibi dederit. Deus
 excellentiam, & sua gratia sanctificauerit, in
 qua donec gloriam obtineres, perseverasti:
 Gratias ago omnipotenti Deo, propter bene-
 ficia in te collata, tibi verò propter ea, quæ
 mihi confers, & propter amorem & volupta-
 tem, qua me custodis. Ego tibi commendo ho-
 die corpus meum & animam meam, memo-
 riam, intellectum, & voluntatem, appetitio-
 nes meas & sensus omnes, vt me custodias, di-
 rigas, protegas, & gubernes, ac simul purifi-
 ces, illumines, & perficias; ita vt omnibus
 bonis per te plenus, perseverem sem-
 per in gratia, donec simul tecum
 Deum videam, & eo fruam
 in gloria. A-
 men.

